4

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE EPILEPSIA.

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. FRANCISCI FABRICII,

S. S. TH. DOCT. HUJUSQUE FACULTATIS, UT ET ORATORIÆ SACRÆ, IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESS. ORDIN. SOCIET. REGIÆ ANGLIC. DE PROMOVENDO EUANGELIO IN PARTIBUS TRANSMARINIS SOCII: NEC NON ECCL. LEIDENSIS PASTORIS.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, & *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime conſequendis,

Publico ac ſolemni examini ſubmittit.

JACOBUS HOVIUS, AMSTELÆDAMENSIS.

Ad diem XX. *Nov.* 1736. *hora locoque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud GERARDUM POTVLIET, 1736.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
EPILEPSIA.

§. I.

Epilepſia adeo multiplex, & tam varia, deprehenditur in diverſis; ut eam, quæ ad omnes ipſius ſpecies quadrat, exhibere Definitionem, ſit quam difficillimum: unde ex graviſſimi Inſultus hiſtoria Definitio petenda videtur.

II.

Dum igitur ille exoritur, *fit primum inopinata & integra cum externorum tum internorum ſenſuum abolitio:* quæ quidem talis, ut Epileptici, (hoc reſpectu) mortuis non diſſimiles obſer-

ſerventur (*a*). Nihil omnino ſentiunt (*b*): Etiamſi cauſam doloris in Corpore ſummam habeant, ut, dum vulnerantur, aut comburuntur (*c*); dolores non percipiunt (*d*): Mens itaque laborat (*e*): ſic, ſi morbus parturientem invadat, hæc labores partus, quos cæterum adeo moleſtos volunt Mulierculæ, non animadvertit, & miratur poſtea foetum, quem neſcia edidit (*f*). Ipſi quoque Epileptici hoc abunde teſtantur, cum enim per intermiſſiones ſaepe multis moleſtiis torquentur, votum faciunt, ut acceſſio redeat, quo una cum Mentis alienatione hiſce moleſtiis liberentur. Non guſtant (*g*). Nihil olfaciunt (*h*). Quamvis enim Helmontius (*i*) dixerit, quod odoribus moveantur, in graviſſima acceſſione hoc non obtinet: & hinc forſan eſt, quod CELSUS admodum ſupervacuum putaverit, Epilepticum velle excitare, iis (*l*), per quæ ſternutamenta evocantur, & quæ foedo odore movent (*m*). Intuendi ſublata facultas (*n*). Etiamſi

(*a*) Alex. Trallian. L. I. C. XV. P. Zacch. quæſt. Medico-leg. T. I. p. 144.

(*b*) Hippocr. Edit. Genev. 1657. p. 300. l. 47. Aret. Cappad. Edit. L. B. 1731. p. 2. B.

(*c*) J. B. van Helmont. Edit. Hafn. 1707. p. 110. Th. Bartholin. hiſt. Anat. rarior. C. II. hiſt. LXVIII. Willis de Morb. Convulſ. c. III. Foreſt. obſ. Med. L. X. obſ. LV. LXVIII. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. II. Obſ. IX.

(*d*) Hippocr. Loc. cit. l. 48.

(*e*) Hippocr. a. II. VI.

(*f*) Tulp. obſ. Med. L. I. c. X. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. III. obſ. CLX. CLXI.

(*g*) F. Sylvius Prax. Med. L. II. c. XX. IV. C. Piſo de morb. a Colluv. Seroſ. Edit. L. B. 1733. p. 117. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. VI. obſ. CCI.

(*h*) Sylvius Loc. Cit. F. Hofman. Med. Rat. T. IV. part. III. p. 2.

(*i*) p. 110.

(*l*) Edit L. B. 1730. p. 172.

(*m*) id. p. 158.

(*n*) Hippocr. p. 300. l. 46. Aret. Cappad. p. 121. B.

iamſi vehementer inclames, non ſentiunt (*a*): fruſtra igitur, ut Epilepticum excitent, verborum formulas auribus inſuſurrant. Senſus interni intercipiuntur (*b*): ſaltem poſt acceſſionem nulla geſtorum memoria (*c*); ſed momentum, quo Morbus coepit, cum tempore quo decedit, conjungunt. *Silet præterea facultas, qua ſanus ſua voluntate motus muſculares excitat, dirigit, ſiſtit*: & hinc æger, ſi erectus, nec externis ſuſtentatus concidit; dum muſculi, qui erectum firmant corpus, atque dirigunt, hoc ſuo imperio deſtituti. *Mox violentæ & reciprocæ muſculorum plurium vel pauciorum oriuntur Convulſiones*: quæ quidem in variis multum differunt; in graviſſima autem invaſione hoc utplurimum ſe habent modo. Supercilia vel in glabellam, ut in iratis, attrahuntur; vel ad tempora utrimque revelluntur, ut cutis circa frontem valide prætenſa, atque in ſuperciliorum medio rugæ evanuerint. Palpebræ cum palpitatione frequenter dehiſcunt; quod, ſi quando connivere velint Palpebræ, non committuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet. Oculi obtorti ſunt; cornea in ſublime reverſa. Malæ palpitant. Labia interdum quidem in acutum clauduntur, interdum vero ad obliqua dilatantur, quando in ridentis ſpeciem dentibus circumtenduntur. Sic laborantes vel magno hiatu os aperiunt, vel inferiorem maxillam ſuperiori annectunt: nunc dentes inter ſe collidunt, nunc illis ſtrident. Lingua prælonga eſt, & variis modis torquetur; atque ideo, ſi, dum maxillæ quatiuntur, extra os protenditur, vulnere quandoque ſauciatur. Deglutitio impedita. Caput varie diſtorquetur, & nonnunquam, incurvata ſimul Cervice, pronum inflectitur, quando pectori mentum adhæreſcit, nonnunquam vero, dum collum in arcus ſpeciem retrorſum flectitur, in ſcapulas refringitur, veluti iis, qui per vim crinibus trahuntur, uſu venit, quando, modo

(*a*) Aret. Cappad. p. 2. E.
(*b*) id. p. 121. A. Alex. Trall. L. I. c. XV.
(*c*) Galen. L. III. de loc. affect. Cæl. Aurel. Edit. Amſt. 1722. p. 239.

do in illam partem, ad humeros admovetur. Penis arrigitur, in illis etiam, in quibus cæterum, ob defectum ætatis, ne vel Virginis ſollicitatione turgeret. Imo totum corpus inordinatis motibus jactant Comitiales: Pollicem volæ includunt: Brachia omni ratione movent: Pectus nonnunquam magna vi manibus percutiunt: Crura huc illuc projiciunt: Pedibus calcitrant, ut jugulatis Tauris evenit (*a*). Tandem, ubi æger per longius vel brevius temporis ſpatium ſic laboravit, niſi morbo conſumatur, convulſiones remittunt, & ceſſant; quando homo nonnunquam ad ſe redit, &, ceu nihil paſſus, per ſeipſum conſurgit, plerumque tamen in ſomnum profundum incidit.

Sunt & alia ſymptomata, quibus interdum ſtipatur Epilepſia; ſed quæ, vel non ſemper adſunt, vel ab enumeratis ut effectus pendent.

I I I.

Juxta §. II. *Epilepſia adeſſe dicitur, quoties homo, amiſſis ſenſibus externis interniſque convellitur.*

I V.

Interim Morbus Comitialis non ſemper eadem cum vehementia affligit, ſed in leviori Inſultu Senſus ſunt hebetes, Convulſio non adeo univerſalis, ſed hanc illamve partem, vel alterutrum Corporis latus tantum infeſtat.

(*a*) Hæc convulſionum deſcriptio præcipue ex Aret. Cappad. & Cæl. Aurel. deſumpta.

V.

V.

Dum autem muſculi in homine fere infiniti, & reciproce varii, nec iidem in unoquoque Epileptico convelluntur, morbus ratione motuum, qui ab his convulſionibus pendent, multum in diverſis variat. Nec fere ulla Geſticulatio, Inflexio, vel Poſitura (*a*) noſcitur, quam non aliquando exhibuerit: Comitialium multi quidem proſternuntur, antrorſum (*b*), retrorſum (*c*), vel in alterutrum latus (*d*); eorum tamen quidam erecti (*e*), & rigidi, Paroxyſmum ſuſtinent; alii ambulant (*f*); currunt (*g*); ſaltant (*h*); in gyrum vertuntur (*i*): Plerumque vox, (ut in ſtrangulatu) aufertur (*l*), fitque gemitus, & ſuſpirium (*m*): interdum vero Epileptici, maxime in ingreſſu Paroxyſmi, Clamorem (*n*), Mugitum

(*a*) Miſcell. Ac. Nat. Curios D. II. Ann. II. obſ. CL. Ann. VII. obſ. CXXXV.

(*b*) Holler. oper. pract. Edit. Pariſ. 1664. p. 101.

(*c*) id. ibid.

(*d*) Willis de morb. Convulſ. c. III.

(*e*) J. M. Savonorola pract. maj. p. 68. Beniven. de abd. morb. cauſ. p. 19. Sennert. T. 2. p. 155. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. V. obſ. II. app.

(*f*) Pechlin. obſerv. Medico-phyſ. p. 284. Th. Bartholin. hiſt. Anat. rarior. C. II. hiſt. XC. F. Hofman. Conſult. Med. C. I. Caſ. XXIX.

(*g*) Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. III. obſ. CLXXVII. Ann. V. obſ. II. app. D. III. Ann. III. obſ. CLXXXI. Ann. IX. X. p. 175. app.

(*h*) Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. III. obſ. CLXIX. D. III. Ann. IV. obſ. LXVIII. Beniven. de abd. Morb. Cauſ. f. 4.

(*i*) Schenck. p. 103.

(*l*) Hippocr. p. 305. l. 17. Aret. Cappad. p. 2.

(*m*) Aret. Cappad. Loc. cit.

(*n*) H. Mercurial. Med. Pract. p. 50. Foreſt. obſerv. Med. L. X. obſ. LIII. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. VI. VII. obſ. CCI. D. II. Ann. III. obſ. CLXXVII.

gitum, Balatum Caprarum (*a*), Boatum (*b*), aut Hinnitum Equorum (*c*) æmulantur; imo cantant (*d*), & articulata voce loquuntur (*e*); dum interim horum omnium poſt invaſionem non recordantur.

VI.

Morbus hic Peracutus in ſuis acceſſionibus, quandoquidem nonnunquam acceſſio una hominem rapuit (*f*); nonnunquam una acceſſione finitur (*g*): Sed id raro evenit; plerumque enim per Circuitus repetit, tuncque Chronicus dicitur, & ſtatis Periodis (*h*), horarum (*i*), dierum (*l*), menſium (*m*), vel vago inſultu revertitur.

VII.

Illa phœnomena, quibus acceſſio Epilepſiæ dignoſcitur, ſunt ex §. II. III. ſenſuum deletio, motuum muſcularium perturbatio: ex his itaque natura Epilepſiæ in acceſſione invenien-

(*a*) Hippocr. p. 303. l. 7.
(*b*) Wepfer. obſ. de affect. capit. p. 589.
(*c*) Hippocr. p. 303. l. 10.
(*d*) Miſcell. Nat. Curioſ. D. III. Ann. II. obſ. CLXI.
(*e*) Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. VI. obſ. CCI, CCXXIX. Ann. VII. obſ. CXLIV.
(*f*) Aret. Cappad. p. 28. D.
(*g*) Zacch. quæſt. Med-leg. T. I. p. 773.
(*h*) Aëtius Tetr. II. Serm. II. cap. XIV. Cæl. Aurel. p. 193, 295.
(*i*) Tulp. obſ. Med. L. I. C. XI. Pechlin. obſ. Med-phyſ. p. 291. Kerckring Specileg. Anatom. obſ. LXXI. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 38. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. VI. obſ. CCI. D. I. Ann. II. obſ. XCV.
(*l*) Wepfer. obſ. de affect. Cap. p. 639. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 3.
(*m*) Cæl. Aurel. p. 294. Hofman. Loc. Cit. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. IV. obſ. IX. app.

venienda: utriuſque autem integritas à Senſorio Communi pendet, nonne igitur & utriuſque læſio huic debetur? quo poſito, patet ſedes morbi.

VIII.

Cauſa morbi proxima ex §. II. VII. videntur quies in parte ſenſorii communis ſentiente & valida determinatio ad motum, ut in ſano â voluntate, cujus conſcius eſt, ſic nunc aliunde pendens (*a*): fit nimirum injuſſa (*b*) convulſio partium earum (*c*), quæ cum voluntate movebantur.

IX.

Illa Conditio, quæ hominem prædiſponit, ut, ſi alia cauſa ad hanc acceſſerit, fieri poſſit acceſſio, omnibus hominibus videtur quodammodo communis: id evincunt 1. Coitus, parva Epilepſia Democrito dictus (*d*), ſiquidem levioris Epilepſiae notas & ſymptomata habet (*e*), & nonnunquam graviori paroxyſmo (*f*), ſtipatur: 2. Sternutatio, quæ eſt proximus Epilepſiæ affectus (*g*), & hominem in periculum convulſionis Epilepticæ conjicit (*h*). 3. Facilis & voluntaria hujus morbi in ſanis ſimulatio, quæ aliquando ſagaciſſimis etiam Medicis impoſuit, ut illam pro vero morbi inſultu habuerint

(*a*) Vidus Vidius de Curat. Membrat. L. I. p. 94.
(*b*) Duret. in Coac. prænot. Hippocr. Edit. Pariſ. 1621. p. 337. Heurnius Edit. Lugd. 1658. T. I. p. 413.
(*c*) Duret. Annot. in Holler. p. 91.
(*d*) Galen. in L. Hippocr. de morb. Vulgar. III. Comment. I.
(*e*) Aret. Cappad. p. 123. D. Cæl. Aurel. p. 318.
(*f*) H. ab Heers ſpadacren. p. 176. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. IX. X. obſ. CLIX.
(*g*) Avicenna Edit. Venet. 1608. T. I. p. 499. l. 15.
(*h*) Duret. Annotat. in Holler. p. 92. Th. Bartholin. Act. Hafn. vol. IV. p. 86.

rint (*a*). Haec autem conditio diu (*b*) imo per totam vitam ſilere poteſt: ſola autem ex ſe non ſufficit morbo producendo, nec ſanitatem lædit.

X.

Interim illa conditio §. IX. in omnibus haud æque facile excitatur, ſed huic morbo magis objecti deprehenduntur pueri (*c*); adoleſcentes (*d*); niſi prima ætate ſalivoſi mucoſique ulceribus laborauerint (*e*); qui concepti fluentibus (*f*) menſtruis; Viri (*g*); Pituitoſi (*h*); Melancholici (*i*) valde ſenſiles (*l*); Ingenioſi (*m*): Omnium autem maxime, quorum parentes hoc malum paſſi (*n*), in quibus nonnunquam ſtato demum ætatis tempore morbus ſe manifeſtat: attamen, qui ab Epilepticis nati, quandoque nullam acceſſionem experiuntur (*o*): ſecus ſi contingeret, maximus hodie foret caducorum numerus; quandoque vero illa conditio, quæ ſopita ſilebat in ge-

(*a*) D. J. Bohn. de offic. med. dupl. p. 682. 683. P. Zacch. quæſt. Med-Leg. T. I. p. 254. 260.
(*b*) Zacch. quæſt. Med-Leg. T. 1. p. 144.
(*c*) Hippocr. p. 281. l. 45. 307. l. 17. 1164. E. Aret. Cappad. p. 28. D. Aegineta de re Med. L. III. C. XIII. Alex. Trallian. L. I. C. XV. Cæl. Aurel. p. 291. 295. Avicenn. T. I. p. 501. l. 8. 38.
(*d*) Hippocr. a. III. 29. Aret. Cappad. p. 2. D. Celſus p. 47. 8. Æginet. loc. Cit.
(*e*) Hippocr. p. 304. 45.
(*f*) P. E. Montalto Archipatholog. p. 704. Holler. oper. pract. p. 87. Duret. Annotat. in Holler. p. 92.
(*g*) Celſus p. 172. 11.
(*h*) Hippocr. p. 303. l. 54. 304. l. 35.
(*i*) Id. p. 1201. H. Duret. in Coac. Hippocr. p. 375.
(*l*) Hofman Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 4.
(*m*) Holler. oper. pract. p. 89.
(*n*) Hippocr. p. 303. 47. Boerhav. Aph. de Curand. & cognoſcend. morb. §. 1075. Zacut. Luſitan. prax. med. adm. p. 8. Hofman. L. C.
(*o*) Pechlin. obſ. Phyſico-Med. p. 431. Zacch. quæſt. Med-Leg. P. 631.

genitore, ex Majoribus derivata in Nepotes, in his excitatur (*a*). 2. quibus connaſcitur, dum mater, utero gerens, Epilepſia corripitur (*b*), aut animo perturbatur (*c*), vel perterretur imprimis ſi id fiat per conſpectum Epileptici (*d*).

X I.

Praeterea obſervatæ ſingulares quaedam cauſæ, quæ illam Conditionem §. IX. X. auxere, vel, cum illa combinatæ, ipſum morbum excitavere, quæ ſi caput primario afficiunt, Epilepſia dicitur Idiopathica; ſi ſecundario, Deuteropathica vocatur, in qua dum ventriculus multoties cauſam fovet, hanc iterum diviſere in ſtomachicam, & illam, quae aliarum partium affectiones ſequitur (*e*): ante de Idiopathica agam.

X I I.

Cauſæ §. XI. fuere 1. Affectus animi ingentes: terror (*f*); lac

(*a*) Boerhave Loc. cit. Zacch. quæſt. Med-Leg. p. 630. an eadem fuit opinio Hippocr. p. 303. l. 47?

(*b*) Wepfer. hiſtor. cicut. aquat. Edit. L. B. 1733. p. 134.

(*c*) Sennert. T. 2. p. 162. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 12.

(*d*) Hildan. obſ. chyr. C. III. obſ. VIII. Pechlin. obſ. Phyſico-Med. p. 431.

(*e*) Triplicem hunc Epilepſiæ modum exponit Galenus L. III. de loc. aff.

(*f*) Hippocr. p. 307. l. 3. Helmont. p. 572. 12. Pechlin. obſ. Phyſ-Med. p. 284. 482. Wepfer hiſt. Cicut. aquat. p. 134. obſ. de affect. Cap. p. 576. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. VI. VII. obſ. XXXII. D. II. Ann. III. obſ. CI. Ann. VI. obſ. LV. app. D. III. Ann. V. VI. obſ. XXVII. Ann. IX. X. obſ. LVII. CLI. Act. Acad. Leopold. V. I. obſ. XXV.

lac Nutricis perterritæ (*a*), aut iratæ (*b*); metus (*c*); pavor amiſſi vel amittendi honoris (*d*); mœror (*e*); moroſa triſtis rei cogitatio (*f*); Ira (*g*); conſpectus Epileptici (*h*).

2. Cerebrum in integumentis ſuis, ſuperficie, ſubſtantia, male affectum, per vulnera (*i*), contuſiones (*l*), inflammationem (*m*), abſceſſus (*n*), ſphacelum (*o*), ſanguinem (*p*), lympham (*q*), eandem acrem fœtidam (*r*), tumores

(*a*) Amman Medic. Crit. Caſ. LVI. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 11. 32.

(*b*) Hofman. Loc. Cit. p. 11.

(*c*) Hippocr. p. 307. l. 2. Cæl. Aurel. p. 291. Helmont. p. 534. 12.

(*d*) Helmont p. 525. ab Heers Spadacren. p. 209.

(*e*) Helmont, p. 534. 12.

(*f*) Pechlin. obſ. Phyſ-Med. p. 405.

(*g*) Schneider de Catharr. p. 288. Pechlin. obſ. Phyſ-Med. p. 455. Camerar. Memorab. Med. C. XVI. obſ. XXXII. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 11.

(*h*) F. Plater obſ. p. 21. Wepfer. hiſt. cicut. aquat. p. 134. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. IV. V. obſ. XLIII. D. II. Ann. III. obſ. CI. Act. Erudit. Decenn. III. Ann. II. p. 78.

(*i*) Cæl. Aurel. p. 291. Wepfer. obſ. de affect. Cap. obſ. XVI. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3 p. 10.

(*l*) Cæl. Aurel. p. 291. J. Langius Miſcell. Epiſt. Med. Ep. X. Duret. Annot. in Holler. p. 90. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. I. obſ. XCII.

(*m*) Bonnet. Sepulchret. T. I. p. 274. 299.

(*n*) Fernel de part. Morb. L. V. C. III. Th. Barthol. Act. Hafn. V. v. p. 164.

(*o*) Bonnet. Sepulchret. T. I. p. 283.

(*p*) Schneider de Catharr. p. 253. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. III. Ann. II. obſ. CXXXV. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 10.

(*q*) Hippocr. p. 307. l. 32. C. Piſo de Morb. à colluv. Seroſ. p. 158. Schneider de Catharr. p. 257. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. III. obſ. LXI.

(*r*) Fernel. de abd. rer. Cauſ. L. II. C. XV. Hofman. Loc. Cit.

res (*a*), excreſcentias oſſeas interni cranii (*b*), malam ejuſdem conformationem (*c*), intropreſſiones ejus (*d*), cartilagineam ſinuum venoſorum naturam (*e*), polypoſam in iiſdem hærentem materiem (*f*), fragmenta ſpinaſve oſſium (*g*), inſtrumentorum (*h*), argentem vivum (*i*): Idem Cerebrum male affectum per inflammationem, corruptionem, eroſionem menyngum, à carie oſſis (*l*), gummatibus venereis (*m*), atra bile (*n*).

Raro tamen ſenſibiles adeo mutationes inveniuntur, iterata enim inſpectio cadaverum Epilepſia defunctorum nihil à ſuetis naturæ legibus alienum invenit (*o*), jure igitur dubitare licet, an in obſervatis illis caſibus vitia poſt mortem præprimis detecta primo inſultui anſam dederint, an vero ex ipſo morbo demum nata; præterquam quod ſimilia quotidie reperiantur in capitibus illorum, qui dum vivebant, Epilepſia nunquam corripiebantur.

XIII.

(*a*) P. Borell. obſ. Med-Phyſ. C. II. obſ. LXXVIII. Bonnet. Sepulch. T. I. p. 283. 285.
(*b*) Hofman. Loc. Cit. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. IV. V. obſ. XXXV.
(*c*) T. Barthol. Anat. L. IV. C. V. Zacch. quæſt. Med.-Leg. p. 631. Bonnet. Sep. p. 293.
(*d*) Duret. Annot. in Holler. p. 92. Hofman. Loc. Cit.
(*e*) Boerh. Aph. de Cognoſc. & curand. morb. a 1075.
(*f*) Blaſius obſ. Med. pt. VI. obſ. II. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 11.
(*g*) Hofman Loc. Cit. p. 10. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. IV. V. obſ. XXXIV.
(*h*) Th. Bartholin. hiſt. anat. rarior. C. IV. hiſt. LXVII.
(*i*) Fernel. de abd. rer. Cauſ. L. II. C. XV. Heurnius T. I. p. 415.
(*l*) Vidus Vid. de Curat. Membrat. L. I. p. 96. Foreſt. obſ. Med. L. X. obſ. LVII.
(*m*) Bonnet. Sepulchret. T. I. p. 292.
(*n*) Vidus Vid. L. C. Boerhav. Aph. de cognoſc. & Curand. Morb. a 1075.
(*o*) Schneider de Catharr. p. 257. 258.

XIII.

Quacunque autem ratione ab hiſce cauſis prima oriatur acceſſio, plerumque reverti ſolet: Cauſa itaque prædiſponens non tantum remanet, ſed ſemel explicata mobilior facta videtur, ita ut homo nunc morbo ſuſcipiendo longe aptior. Hæc tamen cauſa ſola paroxyſmum producere nequit, unde, niſi alia ad hanc acceſſerit, homo, licet peſſimam diſpoſitionem ad Epilepſiam habeat, diu imo ſemper à Paroxyſmo immunis vivere poteſt; haud aliter ac homo ſanus, qui ſemper facultatem habet, ut, applicatis quibuſdam cauſis, ſternutet, non ſternutat, niſi aliæ illa cauſæ dictam facultatem in actum deducant: requiruntur itaque & aliæ cauſæ, quæ combinatæ cum priori cauſam mali proximam ergo & ipſum paroxyſmum renovant. Haſce cauſas Hippocrates (*a*) accedentes & decedentes vocat; tales vero obſervando deprehenſæ fuere attentio (*b*), Meditatio profunda (*c*), Angor animi (*d*), ſolicitudines, animi affectus (*e*), & ſi ab his primus Epilepſiæ caſus productus, qui hunc excitavit poſtea præ reliquis paroxyſmum redintegrat, ſic v. g. ſi terror concidendi cauſa fuerit, talis homo poſtea vix perterretur, quin præſto ſit acceſſio, inſomnia, & hinc eſt, quod multos non niſi per noctem prehendat morbus, plethora, quæ, dum omnibus poſt ſtatas intermiſſiones communis, in Epilepticis illo tempore paroxyſmum redintegrat, motus (*f*), maxime circumvolutio (*g*), calor

(*a*) p. 310. l. 12.

(*b*) Pechlin. obſ. phyſico-Med. p. 283. 404. Hofman Med. Rat. T. IV. pt. 3 p. 16.

(*c*) Galen. L. V. de Loc. affect. Hofman. Loc. Cit. p. 3.

(*d*) Aret. Cappad. p. 1. B.

(*e*) Aret. Cappad. p. 123. D. Galen. Doc. de puero Epilept. Avicenna. T. I. p. 505. l. 44. Helmont. p. 522. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. VII. obſ. CXLIV.

(*f*) Avicenna T. I. p. 500. l. 64.

(*g*) Aret. Cappad. p. 122. E.

calor (*a*), frigus (*b*), vini uſus (*c*), temulentia (*d*), ingluvies (*e*), crapula (*f*), venus (*g*), inedia (*h*), ſtrepitus (*i*), clamatio (*l*), impedita in plorante reſpirationis receprocatio (*m*), loci præcipitis (*n*), ſplendorum (*o*), delabentis aquæ (*p*), rerum, quæ in orbem volvuntur (*q*), conſpectus, nidores (*r*), odores (*s*), omnes corporis magnæ mutationes, tempeſtas verna (*t*), autumnalis (*u*), pluvioſa (*v*), auſtralis (*x*). Forte & infinitæ aliæ eæque exiguæ cauſæ in corpore poſſunt naſci & dato tempore adoleſcere atque paroxyſmum renovare, quæ, ut in febribus intermittentibus, ſic & hic raro cognitæ: recenſitæ vero cauſæ etiam in illis, qui poſt ſtatas demum intermiſſiones concidere ſolent, inexſpectatum quandoque Paroxyſmum excitant.

XIV.

(*a*) Hippocr. p. 306. l. 50. 307. l. 14. Galen. Loc. Citat.
(*b*) Hippocr. p. 310. l. 23. Galen. Loc. Citat.
(*c*) Galen. de Loc. affect. L. V. Avicenn. T. I. p. 501. 505.
(*d*) Cæl. Aurel. p. 313. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 15.
(*e*) Avicenn. T. I. p. 500. 57.
(*f*) Holler. oper. pract. p. 101. Hofman. Loc. Citat.
(*g*) Aret. Cappad. p. 123. D. Galen. L. V. de loc. affect. Avicenna T. I. p. 500. l. 63. 505. l. 7. 55. Helmont. p. 522.
(*h*) Galen. L. V. de Loc. affect. & L. de V. S. adverſ. Eraſiſtr. Avicenn. T. II. p. 501. l. 3.
(*i*) Cæl. Aurel p. 313. Galen. Docum. de puero Epilept. Avicenn. T. I. p. 505. l. 44.
(*l*) Cæl. Aurel. p. 313.
(*m*) Hippocr. p. 307. 4.
(*n*) Cæl. Aurel. p. 313. Avicenn. T. I. p. 505. 23.
(*o*) Galen. Doc. de puero Epilept. Cæl. Aurel. Loc. Citat. Avicenn. Loc. Citat.
(*p*) Aret. Cappad. p. 1. B. 122. E.
(*q*) id. ibid.
(*r*) id. p. 1. B. Avicenn. T. I. p. 501. l. 10. 505. l. 58.
(*s*) Aetius Tetr. II. Serm. II. Cap. XV. Avicenna T. I. p. 505. l. 20. Cæl. Aurel. p. 313.
(*t*) Hippocr. à III. XX. Celſus. 43. 25.
(*u*) Hippocr. à III. XXII. Celſus. 44. 10.
(*v*) Hipp. à III. XVI. Celſus. p. 45.
(*x*) Hippocr. p. 306. l. 56. 307. l. 23. 308. l. 2.

X I V.

Signa imminentis mali, dum prima acceſſio inſtat, certa fere nulla habentur: imo quibus malum jam familiare & conſuetum, ut plurimum (*a*) appropinquantis invaſionis nullum indicium percipiunt, ſed ictu oculi citius hominem ex improviſo proſternit; interdum vero, licet rarius (*b*), quædam ſigna habent, quibus vel ipſi (*c*), vel adſtantes futuram calamitatem proſpiciunt: talia autem ſunt dolor (*d*), gravedo (*e*), capitis, tenebricoſa vertigo (*f*), turbulentum inſomnum (*g*), incubus (*h*), mens cum anxietate ſuſpenſa (*i*), ira (*l*), pavor, aut adumbrationis opinio (*m*), paulo ante geſtorum oblivio (*n*), viſus obtuſio (*o*), oculorum intentio (*p*), ſplendores varii coloris (*q*), ſcintillæ, circuli (*r*) ignei oculis obverſantes, aurium ſonitus (*s*), fœdi odoris perceptio (*t*), floridus malarum rubor, concitatæ temporum arteriæ

(*a*) Willis de morb. Convulſ. C. III.
(*b*) id. ibid.
(*c*) Hippocr. p. 307. 42.
(*d*) id. p. 144. A. Aeginet. L. III. de re Med. Cap. XIII.
(*e*) id. ibid. Cæl. Aurel. p. 292.
(*f*) Hippocr. Loc. Citat.
(*g*) id. p. 216. F. Aeginet. de re Med. L. III. C. XIII. Cæl. Aurel. p. 292.
(*h*) Actuar. de Method. Medend. L. I. C. XVII. Aegineta L. III. de re Med. Cap. XV.
(*i*) Cæl. Aurel. p. 292.
(*l*) Aret. Cappad. p. 1. A. Cæl. Aurel. loc. Citat.
(*m*) Aret. Cappad. p. 2. B.
(*n*) P. Æginet. de re med. L. III. C. XIII. Cæl. Aurel. Loc. citat.
(*o*) Cæl. Aurel. Loc. citat.
(*p*) Id. ibid.
(*q*) Aret. Cappad. p. 1. A. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. II. obſ. XCVI.
(*r*) Cæl. Aurel. Loc. citat. Th. Bartholin. de Luce hominum p. 55.
(*s*) Hippocr. p. 144. A. Aret. Cappad. Loc. citat.
(*t*) Aret. Cappad. Loc. citat. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. VI. obſ. 218.

riæ (*a*), tarditas vocis (*b*), ſine manifeſta cauſa veretri tentigo (*c*), torpor totum corpus occupans (*d*), urinæ præter conſuetudinem tenues & crudæ (*e*), maxime ſtatum tempus, quo paroxyſmus reverti conſuevit (*f*). Nonnullis ante in partibus aliquis venientis mali ſenſus eſt (*g*); ut ſtupor (*h*), imprimis manuum (*i*), convulſio ſummum humerum, cervicem, dorſum (*l*), magnoſve manuum aut pedum digitos (*m*), occupans; dolor (*n*), tremor (*o*), crampus (*p*) tumor (*q*), digitorum in pugnum contractio (*r*), ſenſus auræ frigidæ præcordia vel caput petens. Multi interim ſunt, qui putant, in parte ita primario affici viſa mali cauſam deliteſcere, & inde noxâm in cerebrum inſons propagare; quod, ut forſan interdum probabile, ſic utplurimum hæ affectiones ſunt tantum initia & ſigna mox futuræ acceſſionis in Epi-

(*a*) Trincavell. Conſil. med. L. I. Conſ. VII. Tulp. obſ. med. L. I. C. XI.
(*b*) Hippocr. Loc. citat.
(*c*) Cæl. Aurel. Loc. citat.
(*d*) Hippocr. 216. F.
(*e*) Id. ibid.
(*f*) Cæl. Aurel. p. 295.
(*g*) Hippocr. p. 93. A. Celſus p. 73.
(*h*) Hippocr. p. 144. A. Aret. Cappad. p. 2. A. Holler. oper. pract. p. 101.
(*i*) Hippocr. Loc. citat.
(*l*) Id. p. 216. F.
(*m*) Aret. Cappad. p. 2. A. Holler. Loc. citat. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. VIII. obſ. XXXVI.
(*n*) Hippocr. Loc. citat. Aret. Cappad. p. 2. A. Holler. oper. pract. p. 101.
(*o*) Aret. Cappad. & Holler. Loc. citat. Hofman. med. Rat. T. IV. pt 3. p. 47.
(*p*) Holler. Loc. citat.
(*q* Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. III. obſ. CCCXXXVI.
r) Sydenham. Edit. L. B. 1726. p. 620.

Epilepſia Idiopathica (*a*), quæ dum ad invaſionem ſe parat, prius ſingularem aliquam partem lædit, antequam totum ſubvertat: & hoc ſenſu Hippocrates (*b*), quantum video, has affectiones conſideravit; qui & prætcrea quaſdam ex his inter ſigna futuræ apoplexiæ memoravit (*c*), ubi tamen non arguunt eaſdem hujus morbi cauſam in parte extra caput hærentem denotare; imo illæ læſiones quoque obſervatæ ſunt, ubi aliunde ſatis manifeſte conſtabat in capite mali vitium inhærere, & contra, deſtructa parte, quæ putabatur mali fomitem continere, permanſit aliquando Epilepſia: & licet vis loco, qui in ingreſſu paroxyſmi primum afficitur, applicata, ſæpe morbi exacerbationem impediat; inde nondum conſtat, ibi mali cauſam delituiſſe: Ulcus V. C. in tali loco excitatum aliquando morbum ſopit, ſed haud deſunt exempla, quod in aliis locis ſponte vel arte enatum idem effecerit: quod autem cauterium, quod in priori caſu ulceri occaſionem dedit, mali cauſam non abſtulerit vel inde clarum, quod occluſo ulcere morbus utplurimum revertatur. Præterea ſimilis ſenſus aliquando ex capite in partes inferiores deſcendit, antequam invaderet paroxyſmus. (*d*) Cæterum, dum ſigna enumerata, pleraque ſaltem, videntur affectus læſi cerebri, ſimul probabile reddunt, Epilepſiam eſſe Idiopathicam; maxime, ſi præterea notum, læſionem aliquam capitis præceſſiſſe, nec in reliquo corpore vitium, quod incuſari poſſet, apparet.

XV.

(*a*) Actuar. de Method. medend. L. I. C. XVII. Willis de morb. Convulſ. C. III. Piſo de morb. a Colluv. ſeroſ. p. 140.

(*b*) p. 93. A. 144. A. 216. F.

(*c*) p. 144. A.

(*d*) Hippocr. p. 93. Celſus p. 68. 31. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. obſ. CXVII.

XV.

Epilepſiæ Deuteropathicæ §. xi. Cauſæ ſunt 1. Ventriculi & Inteſtinorum Vitia varia : dolores (*a*) ; irritationes a pituita fluctuante ; bile (*b*) ; in Jejunis imprimis ſtomachum ſubeunte (*c*) ; lacte caſeoſo acido infantum (*d*) ; lumbricis (*e*) ; aliiſve animalibus (*f*) ; acribus humoribus, eſculentis, potulentis, medicamentis (*g*), venenis (*h*) ; Ventriculi ſingularis conditio ab experimento in ſingulari tantum ægro cognita ; nimia ejus debilitas. Hinc natam Epilepſiam docent abſentia ſignorum §. xiv, Ventriculi Inteſtinorumque actio læſa invaſionem præcedens, cardiogmos ; tormina ventris, cibi faſtidium, nauſea, ructus, vomitus varius, victus prægreſſus, alvus varia, ex quibus ſimul ſingulare vitium detegitur. 2. Do-

(*a*) Æginet. de re Med. L. III. C. XIII. J. Langius Miſcell. Epiſt. Med. Ep. XXII. C. Piſo de Morb. a colluv. ſeroſ. p. 139. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 4. 14. 51.

(*b*) Holler. Oper. pract. p. 89. Duret. Annot. in Holler. p. 91. 92.

(*c*) Heurnius p. 415. Holler. Oper. pract. p. 101,

(*d*) Helmont. p. 735. Pechlin. obſ. phyſ. med. p. 281. Miſcell. Ac. Nat. Carioſ. D. III. Ann. I. p. 79. Ann. III. obſ. CXCII. Hofman. med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 14.

e) Avicenn. T. I. p. 500. 38. Vidus. Vid. de Curat. membrat. p. 96. Holler. oper. pract. p. 90. Th. Bartholin. hiſt. Anat. rarior. C. IV. hiſt. VII. Pechlin. obſ. phyſ. med. p. 285. ab Heers Spadacren. p. 214. Wepfer. hiſt. cicut. aquat. p. 124. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. VII. obſ. CLXXXIX. D. III. Ann. II. obſ. CXXXIII.

(*f*) Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. X. obſ. CLXVI.

(*g*) Dekkers Exercitat. pract. p. 186. Schneider. de Catharr. p. 244. Hofman. Med. Rat. T. II. p. 266. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. II. obſ. IX. D. II. Ann. VII. obſ. CLXII.

(*h*) Wepfer. hiſt. cicut. aq. p. 7. 8. 9. 10. 11. 24. 138. &c.

Dolor (*a*), paſſio hyſterica (*b*); variolae (*c*); graviditas (*d*); ita quidem ut ipſa Epilepſia aliquando ſignum novi conceptus fuerit (*e*); partus (*f*); caries oſſium (*g*); ulcera (*h*); dentitio (*i*); acres humores; ut in Hydrope inveterata (*l*); calculus (*m*); punctura nervorum; tendinum (*n*); morſus viperarum (*o*), ſcorpionum (*p*), canis rabidi (*q*); 3. Excretiones conſuetæ, periodicæ, naturales, artificiales, vel morboſæ ſuppreſſæ; ut ſanguinis (*r*); per menſes (*s*), hæmor-

(*a*) P. Salius Annotat. in L. III. Avicenn. p. 43. Schneider de Catharr p. 275. 284. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 14.

(*b*) J. Langius Epiſt. Medic. Epiſt. 23. Duret. in Coac. Hippocr. p. 337. in Holler. p. 92. Act. Eruditor. Decenn. IV. Ann. I. p. 520. Sydenham. p. 389

(*c*) Vidus Vidius de Curat. Membrat. p. 97. Sydenham. p. 132. 368. Schneider. de Catharr. p. 245.

(*d*) Æginet. de re Med. L. III. C. XIII. Avicen. T. I. p. 500. l. 57. Fernel. de Part. morb. L. V. C. III. Holler. oper. pract. p. 102. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. III. obſ. CLX.

(*e*) Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. X. obſ. LXXXIX.

(*f*) Helmont p. 522. 685. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann II. obſ. LXVII. Ann. III. obſ. CLXI. CCCXVII. Ann. IX. X. obſ. XIV. D. II. Ann. II. obſ. XXII.

(*g*) Foreſt. obſ. Med. L. X. obſ. LXVII. Th. Barthol. Act. Hafn. V. V. p. 165.

(*h*) Fernel. de Abd. rer. Cauſ. L. II. C. XV. Duret. Annot. in Holler p. 90. 92.

(*i*) Cæl. Aurel. p. 295. Sydenham. p. 199. 620. Heurnius p. 415. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. III. Ann. III. obſ. CXCII.

(*l*) Duret. in Coac. Hippocr. p. 337.

(*m*) Pechlin. obſ. phyſ. med. p. 285. Hofman. med. Rat. T. II. p. 324. T. IV. pt. 3. p. 14.

(*n*) Wepfer. hiſt. cicut. aq. p. 124.

(*o*) id. ibid.

(*p*) Aetius Tetr. II. ſerm. II. C. XIV.

(*q*) Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 14.

(*r*) Hippocr. p. 172. F.

(*s*) id. ibid. & p. 203. F. Avicenn. T. I. p. 500. l. 45. Duret. in Coac. Hippocr. p. 218. 457.

morrhoidas (*a*), lochia (*b*), hæmorrhagiam narium (*c*), dyſenteriam (*d*), mictum cruentum (*e*); ſudoris (*f*); urinæ (*g*); alvi fæcum, maxime autem meconii in infantibus (*h*); materiæ fonticulorum (*i*); ulcerum (*l*); ſcabies (*m*), & variæ aliæ, imprimis capitis (*n*), efflorescentiæ repercuſſæ; quod adeo verum, ut pueri, qui cæterum ad ſuſcipiendam Epilepſiam aptiſſimi (*o*) ſi ulcera in caput, aures, & reliquum corpus erumpant, & ſimul ſalivoſi mucoſique exſtiterint, procedente ætate Epilepſia minime corripiantur (*p*), & jam Epileptici facti, obortis ſponte ulceribus, curentur (*q*); huc demum pertinent largæ hæmorrhagiæ (*r*), maxime in puerperis.

(*a*) Hippocr. p. 172. F. Vidus Vid. de Curat. Membrat. p. 97. Zacut. Luſitan. prax. Med. Adm. p. 7. Hofman med Rat. T. IV. pt. 3. p. 12.
(*b*) Zacut. Luſitan. L. C. p. 6. & T. I. p. 63. Hofman. Med. Rat. T. IV. pt. 3. p. 14.
(*c*) Duret. in Coac. Hippocr. p. 218. Hofman. Medic. Rat. T. IV. pt. 11. p. 15.
(*d*) Duret. Loc. citat.
(*e*) Aret. Cappad. p. 54. A.
(*f*) Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. Ann. III. obſ. CVI.
(*g*) Duret. in Coac. Hippocr. p. 15. Heurnius T. I. p. 414. Zacut. Luſitan. T. II. p. 187. prax. med. adm. p. 8.
(*h*) Pechlin. obſ. p. 281. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. VI. VII. Obſ. CCI.
(*i*) Pechlin. obſ. p. 290.
(*l*) id. p. 291. Zacut. Luſit. prax. med. adm. p. 7. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. VI. obſ. CCI. Ann. VII. obſ. CXLIV.
(*m*) Hildan. obſ. med. Chyr. C. III. obſ. X. Hofman. Conſult. med. C. I. Caſ. XXVIII. Med. Rat. T. III. p. 182. T. IV. pt. 3. p. 13.
(*n*) Duret. Annotat. in Holler. p. 92. Hofman. Conſult. med. C. I. Caſ. XXXI. Med. Rat. T. III. p. 181. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. IV. O. LXXXIX.
(*o*) Vid, IX, C.
(*p*) Hippocr. p. 304. 45.
(*q*) Tulp. obſ. Med, L. I. C. VIII.
(*r*) Schneider. de Catharr. p. 255.

peris. 4. Singularis quidam fomes unde ſenſus varius, imprimis elevatæ auræ (*a*), præcordia vel caput petit, antequam fiat exacerbatio; eo quidem magis, ſi neque ex prægreſſis, neque ex ſignis XIV, conſtat in capite mali vitium inhærere, & ubi topica talis partis tractatione exacerbatio inhibetur.

XVI.

In ipſa morbi acceſſione Reſpiratio ſuffocatio quædam eſt, veluti in iis, qui laqueo ſtrangulantur. Inter initia arteriarum motus vehementes ſunt, & celeres & parvi, in fine vero magni, tardi, & languentes, in univerſum autem ordine carentes (*b*). Quandoque homo ſic correptus ingeſta, lympham, bilem (*c*), aliquando porraceam (*d*), vomitu rejicit: ſalivam, ſpumam (*e*), pituitam multam craſſam, quæ trahendo in filum quaſi educitur (*f*), mucum narium, qui ab incautis aliquando pro ipſius Cerebri ſubſtantia habitus, ſudores (*g*), ſemen (*h*) urinam (*i*) fæces alvi (*l*) quæ virides in infantibus (*m*), excernit: variis in locis rubeſcit (*n*), liveſcit tandem. Venæ colli tument. Ubi vero a morbo quieſcit æger, utplurimum ab initio membris ſegnis eſt, capitis gravitate premitur, diſ-

(*a*) Galen. L. III. de loc. affect.
(*b*) Aret. Cappad. p. 2. E.
(*c*) Holler. oper. pract. p. 101.
(*d*) Sydenham. p. 396. 397. Malpigh. Conſult. Med. Cent. I. Conſ. X.
(*e*) Hippocr. p. 303. l. 15. 300. l. 48. 305. l. 39.
(*f*) Aret. Cappad. p. 3, A.
(*g*) Cæl. Aurel. p. 293.
(*h*) Aret. Cappad. p. 3. A.
(*i*) id. p. 2. E.
(*l*) Hippocr. p. 303, L. II. Aret. Cappad. Loc. citat.
(*m*) Sydenham. p. 397. 620. J. Harder. obſ. med. p. 372.
(*n*) Aret. Cappad. p. 2. D. Sydenham. p. 620.

diſſolutus, languidus, pallidus, conſternatus animo (*a*) Interdum Epilepticusper Intermiſſiones ſaniſſimus videtur (*b*); interdum vero plurima mala ipſum morbum conſequuntur, quibus obortis nonnunquam terminatur (*c*) nonnunquam permanet. Mala hæc ſunt Torpor (*d*) hebetudines (*e*) cæcitas (*f*) memoriæ vacillatio, ingenii tarditas (*g*), imaginatio læſa (*h*) melancholia (*i*) tremores, paralyſes (*l*), fatuitas (*m*), furor (*n*), apoplexia (*o*), artuum contractiones (*p*), oris (*q*) atque faciei diſtorſiones & diffomitates, oculorum perverſiones (*r*), oſſium (*s*), dentiumque fracturæ, maxime in infantibus, linguæ læſio, titubatio (*t*], tetanus (*u*), mors. Ex pauciſſimis

(*a*) Aret. Cappad. p. 3. B.
(*b*) Actuar. de method. medend. L. I. C. XVII.
(*c*) Hippocr. p. 94. C. 306. C. 10. 1040. D. 1046. B.
(*d*) Aret. Cappad. p. 29. A.
(*e*) id. p. 1. A.
(*f*) Hippocr. p. 1046. B. Hildan. obſ. Chyr. C. IV. obſ. V. Tulp. obſ. med. L. I. obſ. X. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. III. obſ. CLXI. Ann. VI. VII. obſ. L.
(*g*) Aret. Cappad. p. 29. A.
(*h*) Tulp. obſ. med. L. I. C. IX.
(*i*) Hippocr. p. 1201. H. Duret. in Coac. Hippocr. p. 375.
(*l*) Hippocr. p. 94. C. 306. 36. Avicenn. T. I. p. 501. l. 20. Tulp. obſ. med. L. IV. obſ. III. F. Hildesheim de Capit. & Cerebr. morb. p. 572.
(*m*) Aret. Cappad. p. 29. B.
(*n*) id. p. 28. E.
(*o*) Duret. in Coac. Hippocr. p. 218. Proſp. Martian. in L. Hippocr. de Gland. Paracelſ. oper. T. I. p. 189. C. Piſo de morb. a colluv. ſeroſ. p. 124.
(*p*) Hippocr. p. 94. C. 306. l. 12. Aret. Cappad p. 28. D. E.
(*q*) Hippocr. 306. l. 12. Aret. Cappad. p. 28 D.
(*r*) Hippocr. Loc. citat. p. 94 B. 1046, B. Cæl. Aurel. p. 293. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. III obſ. CLXII.
(*s*) Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. I. Ann. II. obſ. CCXXV. D Ann. VII. obſ. CX.
(*t*) Hippocr. p. 94. C.
(*u*) C. Piſo de morb. a colluv. ſeroſ. p. 124.

mis illis quae de ſtructura & uſu partium noſtri corporis vera percipio, mihi probabile viſum, quod ille, qui fabricam & actiones corporis humani intelligens, attenderet ad ea, quæ in Epilepſiæ inſultu contingunt, deprehenderet, enumerata ſymptomata tam quæ in ipſo paroxyſmo fiunt, quam quæ morbum demum conſequuntur, fere omnia, ab ipſis convulſionibus, horum effectibus & morbi verecundia produci: prætermitto tamen quomodo legibus juſti ratiocinii demonſtrari poſſit ratio, qua hi effectus ex aſſumptis cauſis ſequantur; non quod hæc per ſe facile pateant; nec ob temporis anguſtiam, aut voluminis metum, ſed perpendens quantum in hiſce eruendis requiratur ingenii acumen, ut quis bene diſtinguat, malui totum hoc ſilentio pertranſire, quam hinc inde quædam dubia ratione exponere totum perfunctorie tradere: modo ignoſcas quod peccem contra tritum illud, in magnis voluiſſe ſat eſt.

Ipſe morbus, ejusque effectus, nonne hominem aptiorem reddunt ad ſuſcipiendam exacerbationem? Epilepſia frequens pituitoſis (*a*) debilibus; ſed valida vis, quam convulſiones ejusque effectus ſolidis fluidisque inferunt, repetitæ dein excretiones ſalivæ, bilis, ſudoris, ſeminis, vires conſumunt. Melancholici Epilepſiæ objecti (*b*): ſed mœrore & metu cadendi evadunt Melancholici (*c*).

Anne morbi per Circuitus exacerbationes aliquando in Capite mala quædam (*d*) relinquunt, quibus poſt mortem deprehenſis immerito imputatur prima morbi invaſio, quæ tamen juvant, ut facilius revertatur paroxyſmus, qui forte ſiluiſſet, abfuiſſent hæc mala? qui conſiderat, quantæ mutationes tempore paroxyſmi fiant circa partes ſenſibus objectas

(*a*) §. X. l. h.
(*b*) §. X. l. i.
(*c*) Aret. Cappad. p. 3. B. Duret. in Coac. Hippocr. p. 357. Heurnius T. I. pag. 317.
(*d*) Vid. §. XII. N. 2.

ſtas jure ſuſpicabitur mollia Cranio contenta eodem tempore quoque multum lædi.

XVII.

Epilepſiæ paroxyſmus periculoſus & pernicioſus (*a*): qui ætate parvula hoc morbo corripiuntur plerumque intereunt (*b*); quoniam ei ferendo ſunt impares (*c*). Senibus plerumque lethalis (*d*); ſin ſecus, ſua ſponte (*e*) vel auxilio naturæ (*f*) ſervantur, minimumque a medicis juvantur (*g*). Hydropicis periculoſus (*h*); ſive a cauſa Hydropis ſive ex ipſo morbo oriatur (*i*).

XVIII.

Epilepſia hereditaria (*l*) congenita (*m*) inveterata (*n*) poſt vigeſimum quintum ætatis annum contingens (*o*) ſive quis ab ineunte ætate morbo corripiatur (*p*), ſive poſtmodum laborare cœperit (*q*); quæ a cauſa §. XII. N. 1; in qua homo ex improviſo concidit, neque ante in partibus aliquis

(*a*) Aret. Cappad. p. 83. F. 84. A.
(*b*) Hippocr. p. 306. l. 6.
(*c*) Duret. Annot. in Holler. p. 92.
(*d*) Hippocr. p. 93. B. 306. l. 35.
(*e*) ib. p. 93. B.
(*f*) Celſus p. 73. Holler. comment. in Hippocr. a. II. XLV.
(*g*) Hippocr. Loc. citat.
(*h*) id. p. 190. F.
(*i*) Duret. in Coac. Hippocr. p. 337.
(*l*) Hippocr. p. 89. collat. cum p. 303. l. 44. Savonorol. pract. maj. p. 69.
(*m*) Vid. §. X. N. 2.
(*n*) Hippocr. p. 303. l. 45. 307. l. 35. Aret. Cappad. p. 28. E. 84. A.
(*o*) Hippocr. a. V. VII.
(*p*) id. p. 92. G.
(*q*) id. ibid. Celſus p. 73. 16.

quis venientis mali ſenſus eſt *(a)*; vel ubi a capite initium ducere videtur *(b)* ubi per intermiſſiones perfecta Integritas; in qua plurima ex phaenomenis §. II. XVI; ægerrime curatur.

X I X.

Quod autem ad Curam triſtis & fædi hujuſce morbi attinet, niſi Deuteropathicus fuerit, arti utplurimum inſanabilis eſt; & medicus ſi expertus, deſperato nihil ultra ſubveniens, contriſtatur duntaxat. Innumera paſſim proponuntur ſanationis arte factæ exempla: ſed qui ſuam ignorantiam & artis infelicitatem ſciunt, & candidi, ubi convenit, palam profitentur, dictis obſervationibus jure merito fidem non adſtringunt.

X X.

Si quis ad illa, quæ hucuſque expoſuimus, animum advertat, facile videbit, quod curatio Epilepſiæ generalis nulla detur, requiritur enim, ut pro varietate cauſæ, locique affecti, varia omnino ſit.

X X I.

Epilepſia §. XVIII. vix ullam ſuſcipit radicalem medelam. Siquidem Diatheſis ad ſuſcipiendum morbum vel ex toto corporis habitu vel a charactere ſemel ſenſorio communi impreſſo, (ſit venia verbis) his hominibus videtur fere adeopropria, & cedere neſcia, ac illa facultas, qua homo ſanus arbitrio

(*a*) Hippocr. p. 93. Celſus Loc. citat.
(*b*) Hippocr. Loc. citat. Celſus p. 68. 31.

bitrio Volentis Mentis muſculos movere poteſt: & æque arti impoſſibile videtur, illam Diatheſin ſubmovere, ac ſi quis in homine ſano vellet delere illam facultatem, qua, dum vult, ſimulat Epilepſiam, vel qua, applicatis iis, quæ ſternutamenta evocant, ſternutat. Interdum vero ſecunda fortuna evenit, ut hæc diatheſis quaſi deleatur. Id autem non efficitur hoc illove ſpecifico; ſed 1. commutatione totius Temperamenti, unde nonnunquam cum illo corporis habitu, in quo ali ſolebat, morbus recedit. 2. valida actione in ſenſorium commune.

XXI.

Naturalem corporis habitum multum immutant 1. ætas. Natura enim per ætatis mutationes in longe diverſum hominem permutat (*a*); quæ differentia nunquam major quam incipiente pube: unde & Epilepſia ante pubertatem orta amoveri poteſt (*b*), & non ægre finitur (*c*), ipſo maxime ætatis flexu (*d*); plerumque enim in ipſo a pueritia ad pubertatem tranſitu evaneſcere conſuevit (*e*), in mare naturali in virum tranſitu, ubi teſtes intumeſcunt (*f*), & ipſe juvenis primum hircire (*g*), & venerem appetere (*h*), incipit; in fæmina primis menſtruis (*i*) & ubi mammæ incipiunt elevari (*l*): fæminæ autem juvantur hac ætate magis quam mares (*m*): quod ſi malum hoc penitus inſederit, atque radices

(*a*) Aret. Capp. p. 121. B.
(*b*) Hippocr. a V. VII.
(*c*) Celſus p. 68. 26.
(*d*) Hippocr. a II. XLV. Aeginet. L. III. de re Med. C. XIII.
(*e*) Galen. in L. VI. Hippocr. de morb. Vulg. Comment. I.
(*f*) Hippocr. p. 1046. B.
(*g*) Holler. Comment. in Hippocr. a II. XLV.
(*h*) Duret. in Coac. Hippocr. p. 466.
(*i*) Hippocr. p. 205. A. Celſus. p. 172. 15. Duret. Loc. Citat.
(*l*) Hippocr. p. 1046. B.
(*m*) Holler. Comment. in Hippocr. a II. XLV.

dices altius egerit, ipſum ætatis mutatio non ſubmovet (*a*), ſed cum ægro vivit atque commoritur; aliquando tamen in ſummo ſenio allevatur & deſinit. 2. Vitæ ratio. Et hinc Epilepticis pueris mutationes vitarum liberationem faciunt (*b*): ſi enim uſitatus malo victus, in quo morbus alitur, deſierit, non ulterius hominem infeſtat (*c*), ſimul enim cum priori victus ſpecie morbus recedit. Per victum autem hic intelligo uſum ſex rerum non naturalium. Dum interim vitæ ratio ex toto haud magis mutatur quam peregrinatione, & tranſitu in alias Regiones, mirum non eſt, Itinera & mutationes Regionum Epilepticos pueros à morbo liberare (*d*): hincque probabile, quod hujus morbi ſanationes, quæ toties aquis medicatis imputantur, Itineri, quod æger facit, antequam ad illas perveniat, debeantur; quin imo ſagaciſſimi interdum vel ſola hac ſpe comitiales ad aquas medicatas ablegant. 3. Febris, maxime, quæ diu infeſtat. Hæcque (*e*), imprimis quartana ſi fuerit (*f*), Epilepſiam, cui ſupervenerat, ſæpuis curavit: quod de quartana adeo verum, ut Epilepſiam jam natam tollat, &, quem occupat, a morbi invaſione defendat (*g*). Qui autem ſingularis Epileptici habitum conſiderat, & ſimul perpendit, mutationes, quæ tribus hiſce ſanandi modis fiunt, forte & alia media deteget, quæ, ubi cum prioribus in eundem ſcopum collimant, ſimiliter hunc morbum aliquando ſanabunt.

XXII.

(*a*) Aret. Cappad. p. 28. E.
(*b*) Hippocr. a II. XLV.
(*c*) Aret. Cappad. p. 121. B.
(*d*) Hippocr. a. II. XLV.
(*e*) Galen. in L. VI. Hippocr. de Morb. vulgar. Comment. VI. Avicenn. T. I. p. 501. l. II. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. III. Ann. VII. VIII. obſ. CLXXIX.
(*f*) Hippocr. p. 1190. D. a V. LXX. Galen. Comment. in hæc loca. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. III. Ann. p. 34.
(*g*) Hippocr. a. V. LXX. p. 1190. Galen. Loc. Citatis.

XXII.

Ad alterum §. XX. ſpectat, quidquid animum ſubito & vehementer perturbat, qua ratione Epilepſia caſu fortuito ſæpius curata fuit (*a*).

XXIII.

Quæ autem Epilepſia a quadam ex cauſis §. XII. n. 2. ut curetur, correctionem vel ablationem cauſæ exigit. Natura ſingularis cauſæ, & locus affectus methodum, qua hoc fieri debet, indicant. Attamen niſi vis quædam externa morbo anſam dederit, Medicus hac via, vix unquam Epileptico mederi poteſt; quod cauſa ſingularis fere ſemper lateat vel cognita emendari aut dimoveri haud queat, ſigna enim quæ naturam cauſæ demonſtrant, mihi, forte & aliis, ignota.

XXIV.

Si methodus §. XXI. XXII. XXIII. non reſpondet, alienum non eſt, preſſionem humorum a capite in alia & quidem oppoſita loca derivare; qua ratione acceſſionum frequentia & furor interdum valde minuitur.

XXV.

(*a*) Barthol. hiſt. Anat. rarior. C. III. hiſt. XLI. J. R. Camerar. Memorab. Medic. Arc. C. XVI. obſ. XXXI. XXXII. Miſcell. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. IX. obſ. CLXXXIX. D. III. Ann. IX. X. obſ. LVII. Ann. VII. VIII. obſ. CLXXXVII. H. Ooſterdyk Schacht. duobus exemplis idem confirmat.

XXV.

Quamvis Epileptici nonnunquam quodam ex recenſitis modo releventur; maxima tamen eorum frequentia, ut olim, ſic & hodie, inſanabilis deprehenditur; quod ubi conſtat, tutius nihil ſupereſt, quam paroxyſmorum renovantes cauſas §. XIII. avertere, jam natas ſubmovere vel corrigere; ſicque Epilepticus invaſionem & quæ hinc oriuntur damna evitat. Hoc autem fieri poſſe ratio docet, confirmat Experientia (*a*) V. G. aliquando virgo quædam amore perſecuta eſt juvenem, inhibuere cognati nuptias, quoties juvenis iterum ad ipſam accedebat, ſtatim & revertebantur paroxyſmi, tandem cum alia aggreſſa eſt connubium, in quo abſque recidiva vixit (*b*). In multis tamen hæ cauſæ adeo abſconditæ, vel in illa, qua vivimus, ratione, tam inevitabiles, ut huic curæ locus non detur.

XXVI.

Tandem, ſi hactenus dicta §.XX-XXV. nullam ſpem faciunt, vel homo ſibi committendus, vel tentandæ, quæ, plerumque ſine ratione & cum Epileptici periculo, proponuntur generales Epilepſiam curandi Methodi; ſiquidem interdum ſecunda fortuna evenit, ut illis, vel aliam ob rationem, vel juſſu audacis medici aut agyrtæ, adhibitis Epilepſia hucuſque inſanabilis habita curata fuerit: ipſæ autem methodi paſſim apud medicos recentiores deſcriptæ habentur.

XXVII.

Epilepſia Deuteropathica haud adeo periculoſa ejuſque curatio haud tantis laborat difficultatibus; quamvis tamen univer-

(*a*) Miſc. Ac. Nat. Curioſ. D. II. Ann. VII. obſ. CXCVI. ab Heers Spadacren. p. 212.

(*b*) ibid. D. II. Ann. II. obſ. LXXV.

verſalis nulla detur, ſed tam diverſa requiratur, ac ipſæ cauſæ variant; ſingulis autem ſpeciebus propriam annectere curam, animus non eſt.

XXVIII.

Quando Comitialis jam in ipſo Paroxyſmo verſatur, ſtudendum, ut lapſu, jactatione corporis, & motu maxillarum, quam minimum fieri poteſt, lædatur, cæterum ſibi committatur. Multi quidem, ut homo citius expergiſcatur, ſenſuum organis admovent omnia illa, quibus applicatis, dum integritas perſtat, homo valde commovetur: quod ſi non obeſt, ſaltem ſupervacuum videtur; quandoquidem in graviori inſultu omnia illa haud plus juvare poſſunt, ac ſi cadaveri imponerentur, ſi levior, ſponte ſua breui ceſſat & vix multum damni infert. Nihilominus aliis forte ob rationes mihi ignotas conſtabit, uſum eorum non eſſe rejiciendum: ſed tunc, credo perinde erit quæcunque vellicatio adhibeatur, ſive, ut quidam, lanuginem pubis evellas, ſive ut alii, totum hominem frigida perfundas, ſive naribus pretioſam ambram ſupponas, ſeu pia eorum auribus inſuſurres, ſeu profana inclames. Quod autem nonnulli membra convulſa dirigere velint, perperam fieri exiſtimo, dum hac ratione oppoſitis viribus diſtrahuntur & dilacerantur; imo viſum ſæpius quod hinc paroxyſmus ingraveſcat. Singularis autem *Æ*pilepſiæ cauſa & ægri conditio aliquando indicant quid faciundum, ut miteſcat Paroxyſmus, ſi v. g. notum, quod venenum ingeſtum morbum jam præſentem excitet quandoque vomitus excitari deberet &c.

FINIS.

A N-

ANNEXA.

I.

Coitus Epilepſiam avertit, inducit, natam auget, curat.

2.

Epilepſia, febrim ſi exceperis, eſt omnium morborum frequentiſſimus.

3.

Epilepſia interdum vitam interdum mortem infert.

4.

Coitus non requiritur ad conceptum.

5.

Venere & Baccho multi morbi praecaventur.

6.

Qui uxorem duxit, fœdis & periculoſis morbis patet.

7.

De nervorum ſucco vix quicquam conſtat.

8.

Animalcula, quae in ſemine Virili viſa dicuntur, eſſe ſtamina futuri prolis, probabile non eſt.

9.

Incertum ſæpe, an mutationes, poſt data medicamina ſequentes, ipſis medicaminibus adſcribi debeant.

10.

Non dantur ſigna ex quibus præſentia cujuſcunque morbi dignoſci poteſt.

II.

Omnes medici quandoque Empyriam exercent.

12.

Homo abſque Reſpiratione vivere poteſt.